

comitijs miraculose evocati historia nota est, & fuse à D. Ludovico Rabo part. 7. Martyrologij p. 57. describitur: simile quid hodieque Deum facere posse non negamus. Ipsa Evangelica præsens historia, fiduciam de ereptione, etiam miraculosa, si gloriae divinae & nostrae salutis conducatur, conformat: sed in negotio salutis aeternae unice Scripturae inherendum.

HOMINIBUS INDICANTIS.

XXVI. DEUS qui primo divina revelavit mysteria, idem etiamnum hominibus in suo verbo illa indicat. Inter Aegyptium infanticidium & Nazaraeum nomen indicavit idem Deus Prophetis per internam allocutionem: indicavit Mathaeo per scripta Prophetica, & internam Sp. S. inspirationem simul: indicat & nobis, sed tantum per scripta Prophetarum & Apostolorum. Nec tamen aliud DEI verbum in corde Prophetarum Matthaei & nostro hac de re est, sed plane idem, secus atq. Rathmannus garrit. Atq. illud verbum quod notificavit DEUS, non tantum lumen habet objecti, ut mysteria salutis nostrae, omni humanae rationi abscondita, patefaciat & illustret, quod lumen historicum Rathmannus appellat, satis tenuiter de rebus & origine & materia ac forma divinis sentiens atq. loquens: sed & subjecti, hoc est tenebras mentis nostrae sua virtute fugat, & nobis novas vires percipiendi & fiducialiter recipiendi, id quod revelatum est, offert & non repugnantibus confert. Qua de re in scripto Saxonico satis actum.

ΠΡΑΞΙΣ.

XXVII. Faciant dicta ad summam tuam consolationem. Dicebat uxor Manoah. Jud. 13, 23. si Dominus vellet nos occidere non ostendisset nobis haec omnia: dicamus & nos si mortem peccatoris vellet DEUS in filio per scripturam locutus nobis non fuisset. Nostra enim aeterna salus unicus omnis revelationis scopus. Non terreat nos voluntas quaedam abscondita, revelata enim contraria esse nequit, absit enim Deo

con-